



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 3. An irregularis censendus sit, qui alterum leviter vulnerat, sed ex
incuria neglecti vulneris paulòpòst moritur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

verò certò constet, quis vulnus lethale inflixerit, hunc tantùm esse reum homicidii, & irregularem, docent Sayrus l. 7. cap. 4. n. 13. Hostiens. in C. significasti, Bonac. l. c. Covar. in Clem. si furiosus 2. p. §. 2. n. 3. Tambur, & alii, dummodo constet quismam vulnus lethale inflixerit, & simul constet, alios illud non intulisse; quia infligens vulnus lethale tenetur de homicidio, & non alius; reliqui enim tenentur de percussione, ut advertit Covar. ex textu in leg. cum Mela. §. sed etsi servum, ff. ad leg. Aquil. & in leg. si rixa, ff. de sicariis: cum ergo reliqui liberi sint ab homicidio, liberi etiam erunt ab irregularitate.

Contrarium tamen æquè probabiliter, vel probabilius defendunt, ac tenent Suarez D. 45. S. 3. n. 9. Palao l. c. Navarr. cap. 27. n. 224. Avila 7. p. D. 6. S. 3. dub. 3. Coninch. D. 17. dub. 8. n. 70. aliique cum Gloss. in Cap. si quatuor homines 23. q. 8. existimantes hos cooperatores, etsi nullum vulnus inflixerint lethale, irregulares tamen fore, eò quòd & ipsi suâ præsentia auxilium, & favorem occisori tribuerint, & occisum impederint, ne se defenderet, ac proinde omnes secundùm Canones judicandos esse reos homicidii, & irregulares; & licet secundùm jus civile non puniantur tales, ut homicidæ; benè tamen secundùm Statuta Canonum quoad pœnam

irregularitatis, uti colligitur ex citt. cap. si quatuor homines.

Ad 3. Q. si vulneratus vulnere non lethali ex Medici, aut Chirur-³⁸⁵gi imperitia, seu negligentia, vel ex propria incuria moriatur; vulnerantem irregularem effici, censent D. Anton. 3. p. tit. 28. c. 2. Navar. n. 223. Molina tr. 3. D. 32. Heniq. l. 14. cap. 14 n. 4. Avila l. c. dub. 5. concl. 2. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. cap. 10. aliique. Rationem dant, quia vulnus illud injustè illatum occasio fuit mortis alterius; quia si vulnus illatum non fuisset, mors non fuisset secuta; ideòque non sola chirurgi, aut vulnerati negligentia, sed simul etiam ipsa vulneratio mortis causa extitit.

Oppositam tamen sententiam rectius tuentur Suarez D. 45. sect. 6. Less. l. 2. de justit. c. 9. G. Hurtado de irregul. diffc. 8. n. 31. Coninch. D. 18. n. 70. & 76. Bonac. l. c. pun. 7. n. 16. Cajetan. Sotus, Sayrus, Reginald. Filliuc. Covar. & alii, quorum sententiam probabiliorē judicat Palao de censur. D. 6. p. 15. §. 5. Ratio est; quia tale vulnus leve non censetur causa proxima mortis, sed remota, & occasio tantùm, hæcque solùm remota: Ad incurrendam autem irregularitatem non sufficit quæcunque occasio mortis, sed oportet, eam proximam esse, ex qua mors sequatur; id,

Ggg 3 quod

quod colligitur ex *cap. exhibita de homicid.* & *cap. Studeat, 50. dist.* Ubi cum Presbyter equitatem Diaconum percussisset, hicque ex equo cecidisset, & fracta cervice interiisset, mandatur, examen institui, an Diaconus fuerit percussus ad mortem, & ex illa percussione obierit? & in hoc casu deciditur, fore irregularem; si verò constat, Diaconum non fuisse ad mortem percussum, injungitur Presbytero pœnitentia ad tempus. Ex quibus satis apparet, ex vulnere non lethali, esto occasionem morti præbeat, non contrahi irregularitatem. Unde & Avila adversarius, Henrig. & Laym. ajunt, si vulnus ita leve fuisset, ut facile, & exigua cura sanari potuisset, tunc vulneranti nullo modo, sed solum medicamento, atque extrinsecæ causæ adscribi.

Aliud tamen dicendum, ac tenendum esset, ut tenet communis cum citt. DD. si ex illo vulnere non lethali febris excitaretur, quæ vulneratum extingueret, vel aliud vulnus superveniret, ex cujus con-

junctione primum quoque vulnus ad mortem concurreret, saltem ut citius succederet, vel si nemo adesset, qui curationem adhiberet, & ex vulnere aliàs non lethali lethale fieret; quia in his omnibus convincitur, primum vulnus causam esse mortis proximam, & ut cum aliis hîc notat Covar. causa causæ censetur etiam causa causati; Atque adeò in his casibus non evitari irregularitatem.

Quod si vulneratus vulnere non lethali semel convaluit, & postea in morbum recidit, quò extinctus est, non censetur causâ, sive occasione vulneris mortuus, & vulnerans ab irregularitate, aliisque obligationibus immunis erit, ut constat ex *l. qui occidit §. ultim. ff. ad leg. Aquil.* & *ex c. 2. de homicid.* & notant citt. AA. qui rectè monent, discernere, an vulnus lethale sit, vel non, & an ad mortem concurrerit, anue morbus planè per accidens, atque extrinsecus acciderit, hominè, que extinxerit, ad Medicos pertinere, quorum judicio standum est.

